

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Discrecio g
cum fonte primo

Discrecio quippe omni uirtuti ordinem ponit,
modum tribuit, decorem
et perpetuitatem confert.

Est ergo discrecio non tam uirtus
quam quedam moderatrix uirtutum,
ordinatrixque affectuum, et doctrix morum.
Tolle hanc et uirtus uicium erit,
ipsaque affectio naturalis in perturbationem
magis conuertetur exterminumque nature.

Bernardus super Cantica.

Discretio quippe omni uirtuti ponit ordinem,
ordo modum tribuit et decorem,
etiam et perpetuitatem.

Denique ait: ORDINATIONE TUA PERSEVERAT DIES,
«diem» uirtutem appellans.

Est ergo discretio non tam uirtus,
quam quaedam moderatrix et auriga uirtutum,
ordinatrixque affectuum, et morum doctrix.
Tolle hanc, et uirtus uicium erit,
ipsaque affectio naturalis in perturbationem
magis conuertetur exterminumque naturae.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Cantica canticorum*, 49.5 (SBO 2, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.76, ll.6-12).